Noverint universi. Quod ego Eulalia uxor Simonis Saplana quondam sutoris ville Granullariorum, heres cum beneficio inventarii dicti Simonis Saplana quondam viri mei ut constat ex testamento ipsius quondam viri mei quod fecit et ordinavit in posse notarii infrascripti die vicesima quinta Januarii anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo. Certa et ex certa scientia. Attendens peciam terre infrascriptam dicte hereditati fore inutilem et dampnosam. Volens indempnitati ipsius hereditatis providere, cum census ipsius pecie terre exsolvitur et nullus fructus ex ipsa provenit. Ratione non vi nec errore lapsa nec in aliquo circumventa sed gratuito animo et spontanea voluntate dono et ex causa donationis pure perfecte simplicis et irrevocabilis inter vivos concedo vobis jamdicto discreto Jacobo Morell presbitero ut laycy et private persone adquirenti et vestris et cui sive quibus volueritis perpetuo quandam peciam terre heremam quam ego ut heres predicta teneo et possideo ac habere et possidere debeo in territorio dicte ville in loco vocato lo Empet [illegible] et que solebant esse due pecie terre distincte prout terminatur ab oriente in camino publico, a meridie in honore Guillermi Mathei sutoris, ab occidente in honore Nicolay Blanch, succedentis Petro Emprany quondam dicte ville et circo in vero quoniam ibi est quo itur ad vallem Daulose. Et tenetur pro anniversariis communibus ecclesie dicte ville Granullariorum instituta per Guillermum Julian quondam pelliparium [illegible] olim habitatorem dicte ville et pro beneficiatum sancti Salvatoris in ecclesia predicta instituti ut administratore ipsorum anniversariorum et sub dominio et alodio eiusdem ad censum duodecim solidorum quos anno in festo sancti Michaelis archangeli solvendorum videlicet pro ona quaque pro ipsius pecie terre sex solidos. Hanc autem donationem et ex causa donationis concessionem facio ego dicta Eulalia vobis dicto discreto Jacobo Morell et vestris de predictis sicut melius dici potest et intelligi ad vestrum vestrorumque salvamentum et bonum etiam intellectum. Et extraho predicta que vobis dono de jure dominio proprietate et posse meis et meorum eademque omnia et singula in vestrum vestrorumque jus dominium et posse mitto et transfero irrevocabiliter pleno jure ad habendum tenendum omnique tempore pacifice possidendum. Preterea ex causa huiusmodi donationis do cedo et mando vobis et vestris omnia jura omnesque actiones reales et personales mixtas utiles et directas ordinarias et extraordinarias ac alias quascumque que michi competunt ac competere possunt seu debent in predictis que vobis dono et contra quascumque personas et res ratione et occasione eorum. Quibus juribus et actionibus supradictis possitis vos et vestri ac quos volueritis uti agere et experiri agendo scilicet et respondendo deffendendo excipiendo proponendo et replicando et omnia et singula alia faciendo in judicio et extra judicium et libere experiendo quemcumque et quemadmodum ego facere poteram ante huiusmodi presentem concessionem et jurium cessionem et possem nunc et etiam postea quomodocumque. Ego enim facio et constituo vos et vestros in hiis vos dominos et procuratores in rem vestram propriam ad faciendum inde vestre libitum voluntatis. Vosque in locum et jus meum pono et statuo sicut cum presenti instrumento. Et bona fide promitto vobis ac etiam sponte juro in anima mea per Dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus meis corporaliter tacta quod presentem donationem et omnia et singula in ea contenta semper rata grata valida atque firma habebo tenebo et observabo et in nullo contrafaciam nec veniam aliqua jure causa. Renuncians quoad hec legi sive juri dicenti donationem propter ingratitudinem posse revocari vel alias quovis causa et omni alii juri rationi et consuetudinibus hiis obviantibus. Ego itaque Jacobus Morell predictus jamdictam donationem cum multiplici gratiarum actione accepto. Premissa igitur omnia et singula facimus paciscimur convenimus et promittimus nos dicti contrahentes prout a quolibet nostrum dicta sunt supra in posse notarii infrascripti tanquam publice persone pro nobis et pro personis omnibus quarum interest legittime stipulantis. Actum est hoc Granullariis vicesimo quinto Januarii anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto. Sig+num Eulalie donatricis predicte. Sig+num Jacobi Morell donatarii predictorum. Qui hec laudamus concedimus et firmamus.

Testes huius rei sunt discretus Franciscus Comes presbiter et Franciscus [illegible] scriptor ville Granullariorum.

Sig+num Jacobi Mathei notarii publici ac Domini [illegible] ac procuratoris publice ville et parrochie Granullariorum, de mandato honorabilis Petri [illegible] dicte ville, qui hec scribi fecit et clausit.

Eulàlia, vídua de Simó Saplana, de la vila de Granollers, dóna al prevere Jaume Morell una [...], 25/1/1446, p. 1
Col·lecció de pergamins / Arxiu Municipal de Granollers